



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 180/18/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Domino Ioanne Piotrowski, Episcopo Kielcensi, in sollemnibus celebrationibus in honorem Spiritus Sancti peractis, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit *plenariam Indulgentiam*, suetis sub conditionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, usque ad diem XXV Novembris MMXVIII lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si

- Kielcenses paroeciales ecclesias Spiritui Sancto dicatas;
- quattuor Kielcenses Basilicas Minores

in forma peregrinationis inviserint et ibi sollemnibus ritibus devote interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus B. Mariae Virg.

Senes, infirmi, omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter *plenariam* consequi poterunt *Indulgentiam*, concepta detestatione cuiusque peccati, et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si Spiritus Sancti celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut Parochi, Rectores et sacerdotes, opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiae Apostolicae, die XIV mensis Martii, anno Domini MMXVIII.



Maurus Card. Piacenza

MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiaris Maior

Christophorus Nykiel

CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens